

«Nova S. Hildegardis opera»

in: „Analecta Sacra Spicilegio Solesmensi parata edidit Joannes Baptista Card. Pitra, episcopus Tusculanus S. R. E. Bibliothecarius. T. VIII. Typis sacri Montis Casinensis. 1882. Paris. Jouby. Pretium.“ 10 fr.

Sancta Hildegardis, beatissima et celebratissima fundatrix et abbatissa monasterii Rupelberg prope Bingam, visionibus, divinis manifestationibus et auctoritate, qua per longum vitae suae tempus apud coetaneos valebat, est clarissima.

Secundum tractatus, in opere supradicto a Sua Em. cardinali Pitra exhibitos, haec Sancta suo ipsius testimonio anno 1098 nata est, ut docti Bollandistae recte supponunt, non autem anno 1100, ut monachus Guibertus de Gembloux statuit.

Secundum manuscriptum, quod lectiones pro officio festi Sanctae huius praescriptas continet et Bruxellis asservatur, Hildegardis die 16. Septembris 1181 anno aetatis 83 (Nova S. Hildegardis opera p. 438) mortua est.

Initio trium librorum suorum: 1. Liber Scivias, inceptus 1141, finitus 1151; 2. Liber vitae meritorum, continuans librum Scivias, scriptus annis inter 1163 et 1170 mediis; 3. Liber divinorum operum, S. Hildegardis mentionem facit sacerdotis monasterialis, visionum suarum gnari et familiaris, non autem nominati. Cardinalis Pitra primus eius verum nomen evulgavit. Non Gottfried, non Theodorich, sed Volmar illi nomen erat. Sancta ipsa eum nominat in epistola non edita, ad Guibertum de Gembloux data, quem a Volmaro mortuo conscientiae ducem et consiliorum moderatorem habuit. Ea visiones suas ipsa sermone latino, quem sciebat, conscripsit; Volmar non nisi stili et grammaticae errores corripuit. Novum cardinalis Pitra opus omnem huius rei dubitationem tollit. Quod attinet ad opus „Scivias“, quod iam anno 1151, ut supra dictum est, ad finem perductum erat, Sua Em. recte indicat, illud (scilicet completum) non potuisse papae Eugenio III. Treveris exhiberi, (quo nequaquam excluditur coniectura, iam scriptum potuisse proponi.) Ceterum eminens ille S. E. R. bibliothecarius ipse dicit, novum opus S. Hildegardis mandato papae Eugenii a duobus eximia doctrinae theologis examinatum et Christi doctrinae confessoribus ad legendum esse permissum.

Unde doctus ille S. E. R. bibliothecarius opus „librum meritorum“ cognitum habuit? — Ex manuscripto illustris abbatiae Affligem, apud Benedictinos Termondenses asservato. Id manuscriptum originem trahit ex saeculo XII.; igitur ex aevo Sanctae ipsius. Ante annos quadraginta contigit, ut Sua Em. data occasione itineris ad res literarias disquirendas suscepti, in Belgio aestimabile illud manuscriptum inter dispersa bibliothecae fragmenta Affligemi, a Benedictinis Termondensibus denuo collecta, reperiret; quod vero illud manuscriptum secum ducere in oppidulum Solesmes potuit, ibique eius manuscripti describendi copia sibi facta fuit, id monachorum officiositati debuit. Secundum hoc manuscriptum exscriptum Sua Eminentia opus nuperrime in lucem editum procuravit.

Praetermittendo opera, a S. Hildegarde ab anno 1151 ad 1158 scripta, id solum addimus, Suam Eminentiam ex manuscripto, quod est Thermis Mattiacis, aliquot epistolas ineditas excerptisse, et ex aliis duobus manuscriptis in eodem oppido asservatis, responsoria et carmina sacra S. Hildegardis obtinuisse; in „Novis S. Hildegardis operibus“ praeterea contineri: „Librum compositae medicinae“ secundum manuscriptum Codaniense, „excerpta prophetialia,“ quem ad modum ea Gebenon ex scriptis S. Hildegardis deprompsit, ab eo ipso „speculum venturi temporis“ nominata; diversas scriptorum de vita S. Ruperti et S. Disibodi commentationes; epitomen ex opere „Linguae incognitae“; diversas commentationes de opere „Scivias“; denique totum huius volumen operis nova serie 113 epistolarum absolvi. Magnae debentur S. E. cardinali Pitrae gratiae, quod insigne opus percelebris S. Hildegardis ab oblivione vindicavit, et Benedictinis Monte-Casinensibus, quod typis illud descriptum exhibuerunt.